

quod & Saxonis agnati & Hassi soceri liberationem promississet, neque stetisset promissis. Me iudice frustra consilia incusantur, ubi fata nutare incipiunt. Quo iure Caesar inconsultis S. R. I. proceribus Electoratu Principem multa avertit, alibi disquiritur. Lipsiae, Vitembergae, Misniae (nunc Dresdam translata) Consistoriorum (x); deinde trium scholarum, Grimmii, Misniae ac Portae, prope Naumburgum auctor fuit (\*). Quae principis instituta hodiernum conseruantur in Saxonibus. Eius vitam MSC. possidemus Georgio Arnolde auctore, Cancellario Naumburgensi.

§. XXI. AVGVSTVS fratrem excipit, etiam in Electoratu, cuius spem, Mauritio obeunte, sibi iterum fecerant principes lineae Ernestinae (y). Haec consilia cum minus succederent; Grumbachius, scelere occisi Melchioris Zobelii, Antistitis Würzburgensis, notatus, Iohanni Friderico, duci Gothano, noua suggestit, vt Augustus prorsus e medio tolleretur. Sed, facinore detecto, princeps,

B b 5

rebel-

(x) Tria imprimis sunt Consistoria in Electoratu Saxonico: Dresdense vocatur summum, das Ober-Consistorium, quia ei cohaeret Senatus Ecclesiasticus, der Kirchen-Rath. Et continet circulum Misnensem, & maximam Circuli montani, des Erzgebürgischen Creyses, partem. Lipsiensi subsunt Circuli sequentes: Lipsiensis, Thuringicus, Voigtlandicus, Neostadiensis & sublato Consistorio Zwickauensi, e circulo montano Zwickauia eique subiecta Schneeberga, excipitur tamen pastoratus Carlsfeldensis, qui ad Dresdense pertinet. Vitembergense vero complectitur circulum Electoralem. Torgauia in causis secularibus Circulo Misnensi annumeratur, in causis ecclesiasticis subest Consistorio Vitembergensi. Praeterea Leisnicensis & Coldicensis praefecturae, quaedam etiam loca praefecturae Rochlicensis, veluti inspectio Waldheimensis, quae ad Circulum Lipsiensem alias pertinent, ad Consistorium tamen Dresdense referuntur. Dantur insuper Consistoria Martisburgae, Zizae & Wurzenae, quae intra fines dioeceseos coercentur. Quam narrationem BERGERI ICt. Sax. consummatissimi *Electis Disp. borens.* debemus.

(\*) De his late SEKENDORFIVS in *historia Lutheranismi lib. III. sect. 27. §. 110. n. 3. p. 454.*

(y) Nam Iohannes Fridericus in integrum restitutus, & Mauritio in Electoratu surrogatus fuit. Cumulate Goldastus lib. 2. c. 32.